



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Dom. XVIII. post pent. Eu. Cum introisset Iesus. Luc. 14. Homilia una

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

# DOMINICA XVIII

A FERIIS PENTECOSTES,

*Euangelium Lucae. XIII.*



**I**n illo tempore Cū introisset Iesus in domum cuiusdā principis Phariseorum, sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illū. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos & phariseos, dicēs: **S**i licet sab

*Matth. 22.  
Marci. 3.  
Supra. 6.*

bato curare? At illi tacuerunt. Ipse uero apprehensum sanauit eum ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hęc respondere illi. Dicebat autē & ad inuitatos parabolam, in

*Matth. 23.  
Marci. 12.*

tendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouis



in loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Matth. 23.  
Jacobi. 4.

HOMILIA VNICA.

**I**nuidi homines mundi huius morem habent admodum pertinacem & absurdum, quod cum nemine uel manducare uolunt uel bibere, rati id ipsum suis siue corporibus, siue bonis esse detrimentosum. Atqui hoc fieri non decet extra domum inter Christianos maxime, sicut Christus ipso facto docuit. Pharisei namque & legis periti quaerebant occidere dominum, quod se filium profiterentur sui patris, quod saepe apud Iohannem meminit dominus. Et tamen nihilominus inuitatus ipse a quodam principe phariseorum, comparuit, non ignarus se non amore aut animo bono esse uocatum. obseruabant enim eum, & quidem sabbatum id erat, quod iam antea saepe exprobrauerant domino, quia non seruaret. Subornauerant quoque infirmum, unde ansam adriperet dominus uiolandi sabbatum. Atque hinc patet dominum nullo bono adfectu fuisse inuitatum, & tamen ille ad inimicos suos uenire dedignatus non est. Curae enim ei erat animarum utilitas, & propterea etiam ad inimicos ingressus est, ex cuius doctrina, sermone & opere poterant utilitatis permultum suscipere, si uoluissent. Eaque forte causa est, cur alio loco etiam inuitato ad phariseos dominus, hospitis nomen exprimitur Simon, hic autem non sic, quoniam cum malo animo inuitaret dominum, indignus habebatur cuius nomen in memoria hominum permaneret. sic enim ait Dauid, Non recordabor nominum eorum per labia mea. Fuit ergo ingressus dominus domum principis phariseorum iam in ipso sabbato, quod tempus erat eorum quidem sententia apostissimum, quo occasione haberet domino iniquitatis non nihil exprobrare, maxime si quod in illo faceret aduersus legem, sicut apud Iohannem dicebat, hominem hunc non esse a deo quia quod sabbatum non seruaret. Manducare debebat cum phariseis dominus, Johan. 5.  
Matth. 23.  
Theoph.  
Luce. 7.  
Matth. 23.  
Psalm. 115.  
Johan. 9.



quod hic euangelista simpliciter admodum exprimit, dicens: Ut manducaret panem. Quo innuitur, non curasse dominum, magnum apparatus ciborum, sed solo etiam pane fuisse contentum, nisi forte more Hebræorum, hæc quoque locutio intelligenda est, ubi nomine lehem omnis cibus intelligendus uenit. Præsentē autē dominū diligenter admodum obseruabant, qui mos est malorum & malignantium, inuitarant siquidem illum tanquam amici ei⁹, & inimici interim erant pessimi, insidiantes etiam uitæ ipsius, sicut eos uere proprijs descripsit dominus coloribus, inquit: Veniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinse-

**Matth. 7.** cus autē sunt lupi rapaces. Huiusmodi homines summa cura cauendi sunt, iuxta illud Sapientis: Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator oris tuo. Quæ ratione autem insidias struxerint pharisæi domino, deinceps euangelista ostendit, dum fuisse ante eum hydropticum commemorat. id ipsum namque sic subornarant pharisæi, non bene tamē præmeditari super eo quod agebāt, siquidem hydropisis ex nimio prouenit humore, qui & inflat & anhelitum foetidum reddit: unde hydroptici quo magis imbibunt aquæ, eo plus sitiunt. ideoque auari per eos designantur, qui ut semper egent, ita quo plus diuitiarum possident, eo magis illas appetunt. Quod autem corpore passus est hic infirmus, idem animo patiebatur pharisæi homines auarissimi, quod sæpe eis obiecit domin⁹, & apud Matthæum præcipue. quamobrem plus ipsi indigebant ope Christi, quàm hic hydropticus.

2. ¶ Sequitur: Respondens Iesus, dixit ad legisperitos & pharisæos. Quæris, Cuinam respondit, à nemine interrogatus: Sane non respondit hic eorum interrogationi, simulque præuenit & arguit ipsorum stultitiam, qui inculsare eū uolebant de sabbato. Scit enim deus cogitationes hoim quā uanæ sunt. Et ait: Si licet sabbato curare? Quo uerbo nonne manifeste irridet eos ut insipientes: siquidem cum deus sabbatum benedixerit, ipsi benefacere prohibent in eo, & per hoc faciunt eū omnino maledictū. non enim benedictus est dies, in quo nihil boni fieri solet. Id eoque tacuerunt Iudæi non ualentes ad hoc respondere quicquam, siquidem uidebant se captos quicquid omni-

**Beda.**

**Psalm. 39.**

**Theoph.**

**Beda.**



no responderent. Et si licet sabbato, quare obseruant do-  
 minum? si uero non licet, quare ipsi iumenta sua adiuuant  
 in sabbato? Tacentibus iam porro pharisæis, curauit do-  
 minus hydropticum, & dimisit. Mos hic fuit pharisæo-  
 rum. uel enim turpiter silebant, ut hic: uel impie irride-  
 bant uerba Christi, ut apud Lucam: uel certe inique in-  
 terpretabantur ei, quem admodum in Johāne, quum iam **Luce. 16**  
 ad lapides current, & sicut in templo per triduum re- **Johan. 8**  
 edificando. Christus autem etiam tacentibus Iudæis noluit  
 magnū & præclarum hoc opus misericordiæ intermitte-  
 re, quin potius tetigit, suæq; mundissimæ carnis contractu  
 curauit hydropticum (multa hic dici possent & deberēt de  
 eo quō ferriæ peragenda essent, sed materiam hanc uide  
 in homilijs de decem præceptis) dimisit eum, nec quic-  
 quam seruitutis ab eo exegit, tantum doctrinam suam uo-  
 luit opere consummare, sicut alibi dixerat: Gratis accepi-  
 stis, gratis date. Fecit hoc idem & Eliseus propheta cum **Matth. 23**  
 Naaman, quem liberum quoque dimisit, ita ut animo li- **4. Reg. 5**  
 berrimo confiteretur, & credens gratias ageret deo. Sic  
 etiam paralytico dixit dominus: Ecce sanus factus es, u-  
 de, & amplius noli peccare, ne quid deterius tibi contin- **Johan. 5**  
 gat. Quumq; iam ante nolissent quicquam responde-  
 re pharisæi, ipse nunc dominus proponit, sic tamen ut in-  
 terim ipsos quoque redarguat avaritiæ suæ, & ait: Cuius  
 uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non conti-  
 nuo extrahet illum in die sabbati? Si hoc uos facitis bru-  
 to, non idem ego faciam homini? nec poterant responde-  
 re quicquam. quod cui mirum uideatur quæso, si æterna  
 dei sapientia illorum excessit stolidam & ignaram prudē- **Act. 6**  
 tiam, quando in Stephano quoq; non potuerunt contra-  
 dicere sapientiæ & spiritui qui loquebatur in eo? (Si uis  
 extendere sermonem hunc symbolicè, expone hydropti-  
 cum de auaro aut luxurioso: in utroque est tumor corpo-  
 ris superbia, fœtor oris, infamia peccati, sitis indeficiens  
 inexhaustæ libidinis aut appetitiōis, pigrities pedū ad bo-  
 na opera, spirituum & meatuum cōpressio per inuidiam,  
 & cutis infectio externæ conuersationis. curre per sym-  
 bola ut liber, habebis semper scripturas, fuit primus ser-  
 mo meus 1508. Friburgi.

QQ



3. ¶ Videns porro dominus insolentiam eorum, & modo ambiebant primos ad cubitus, quod & apud Matthæum exprobrat illis, siquidem id ipsum etiam in synagogis faciebant, ut hic in cœniis doctrinam ergo humilitatis proponit. Vides hic cœnas Christi, quales sunt: nepe in utilitatem animæ, & non in fatietatem uētris uertuntur. Quoniam iam ante docuerat, licere etiam sabbato curare. curaro itaq; hydropico, nunc nitebatur dominus mederi etiam pharisæis in terro isto & abominabili malo arrogantia; atq; ambitionis. Etq; doctrina hæc in se facilis, nec multa indiget explanatione. Utinam modo tam facile eam implemus opere, quàm facilis est intellectu. Sed quoniam hanc euangelista non frustra parabolam uocat, breuiter intueendum est, quid etiam mystice signet. Inter Christum quoq; & ecclesiam nuptiæ quædam sunt, ad quas Christiani nos uelut unius corporis membra inuitamur. Nemo autem nostrum primum ambire debet accubitus, hoc est, de suis operibus & meritis gloriari nemo debet. Vestem quidem quisq; habeat nuptialem, sed illam humilitatis splendor illustret, non ambitionis fuligo obfuscet. (posset conuiuium hoc latissime deduci per symbola.) Nos hinc discamus peccatum quod præ oculis est, & in publico corrigere, quoniam & dominus hic, quia hora cœnæ & ambitionis morbus ante oculos saluatoris uersabatur, tempus erat admonitionis, decebat enim ut magister humilitatis, omnes tum superbiæ, tum arrogantia; ramos præscinderet. Docemur hic quoque nos inter nos mutuo honore præuenire, ita ut ne quis semet ipsum præ alijs obseruandum reputer & uenerandum: quomodo Paulus nos iubet inuicem præuenire honore, quod ipse etiam fecit, qui minimum se dixit esse apostolorum. O quam necessarium nunc foret, ut Christus in hæc quoq; reuersus secula ueniret ad nuptias, conuiuia, comitia, & reliquos conuentus, ubi ut quisq; fere minimus est, ita pro maximo uult haberi: nemo humilitatem sectatur, omnes honorem quærunt & gloriam, arrogantes atq; primis reputari cupiunt, nemini uolunt subijci, nemini parere, siue ecclesiastici sint, siue seculares. ut ut quis etiam in cœnobijs sit homo nihili, tamen Abbas, Prior, Cœl

Matth. 23

Theoph.

Seda.

Matth. 22

Theoph.

Roma. 12

1. Cori. 13



arius esse cupit. Inter canonicos plerique omnes uicaria-  
tum, custodis officium, decanatum, preposituram, episco-  
patum desiderant, & sic in alijs etiam secularibus.

4. Postremo iam doctrinam suam concludit domi-  
nus egregio epiphonemate, & ait: Omnis qui se exal-  
tat, humiliabitur. Hoc certum sane est coram deo, qui super-  
bis resistit, & humilibus dat gratiam. idem quamuis hic **Jacobi. 4**  
non fiat, fiet tamen in illo futuro seculo, sicut in diui-  
te & Lazaro satis pater. In hoc mundo multi in suo fastu **Luce. 16**  
elati superbiunt per omnem uitam, & ab hominibus hic  
quis fit maximus, interimq; clā reijcitur a deo. Est qui in **Theoph.**  
honore uiuat, sed neq; usq; ad finem, nec apud omnes. sed  
quantum a quibusdam obseruatur, tantum ab alijs irride-  
tur, & nō nunq; ab ijs a quibus honoratur. Quid q; multi  
dum summos ambiunt honores, non raro in summas in-  
cidunt ignominias? Lucifer dum se super angelos euehit, **Isaie. 14**  
corruit, in ima inferni detrusus. Adam & **Eua** superbi-  
re ceperunt in paradiso, uolentes equari deo in cognitio-  
ne boni & mali, sed ex paradiso pulsi sunt cum omni po-  
steritate sua. Aman uoluit inclinari sibi omnes homines,  
quod cum nō faceret Mardochæus, patibulum erigi ei ius **Hester. 7**  
sit 50. pedum altitudine, ipseq; in illo suffixus, sceleratam  
euomuit animam. Dauid paulo altius animo suo elatus,  
iussit numerari populum suum omnem, neque in eo im-  
pune transgressus est præceptum domini, quod dederat:  
Quando tuleris summam filiorum Israel, iuxta numerū **Exod. 30**  
dabunt singuli precium pro animabus suis domino, & non  
erit plaga in eis cū fuerint recensiti. Dauid non dedit hoc  
precium, & tamen populum numerauit, paulo arrogan-  
tius ipse de se sentiens. statimq; misit ad eū dominus pro- **2. Reg. 24**  
phetam Gad, qui dixit illi: Aut septem annis ueniet tibi fa-  
mes in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios  
tuos, & isti te persequentur: aut certe tribus diebus erit  
pestilenta in terra tua. Nunc ergo delibera & elige unū  
quod uolueris ex ijs, ut faciam tibi. Dixit autem Dauid ad **2. Par. 28**  
Gad: Coarctor undiq; nimis. sed melius ē ut incidā in ma-  
nū dñi, multę em̄ misericordię eius sunt. Mortuiq; sunt ex  
populo sepruaginta millia uiroy. Percussus est, ppter su- **4. Reg. 19**  
perbiā suā Sennacherib, & amisit cētū & octoginta quinq;

QQ ij



- millia uiros, ipseque a deo deinceps in Ninive occisus est a proprijs filijs suis. Possem hoc modo per totam scripturam discurre, quoniam odibilis est deo & hominibus superbia. Deus quoque memoriam perdit superbos, eosque autem qui humiles sunt corde, conseruat recordatione. Unde sepe fit ut confundantur superbi, iuxta illud Sapientis: Superbum sequitur humilitas. Vicissim autem quisquis se humiliat, exaltabitur, sicut Christus ipse, quoniam se exinanivit, formam serui accipiens, exaltatus est a deo, dato sibi nomine super omne nomen &c.
- ¶ Quid multa? quicquid primus Adā per superbiam amiserat, id omne caelestis Adam Christus per humilitatem reparauit. Et quis preclara illa in utroque testamento multum commendatur humilitas (unde & Iudith dixit: Humiliū & mansuetos semper tibi placuit domine deprecatio: & Dauid cecinit: Tu domine populū humilē saluū facies, & oculos superbos humiliabis. rursus deinde: Prope est dominus ihs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Cui Michol derideret Dauidē, eo quod ante arcem domini cithara canēs saltaret, dixit: Ludā & uilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Didicit hoc ex optimo patre non imprudens filius Salomon, docuitque ubi supbia sit, ibi contumeliam esse: & ibi sapientiam, ubi humilitas. Sed & Iob inquit: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabit. Id genus loci innumeri in ueteri testamento exstant, quoniam deus humiles respicit in caelo & in terra. peculiarē rationē illa laudē in eum in euangelio, unde & pro alijs uirtus appellat euāgelica, eo quod per illā euangelium coepit in Maria, quod profiteret ipsa in cantico suo, dicens: Magnificat anima mea dominū, & exaltauit spiritus meus in deo salutarī meo. Quia respexit humilitatē ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce quis multis exornata fuit Maria uirtutibus, uni tamen humilitati adscribit, & tribuit illud, quod electa sit mater dei, sicut & humiliter rēdit angelo: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Angelus illi denunciat, quoniam futurus sit ut fiat mater dei, ipsa se ancillam domini tantum profiteret. Quod quod Augustinus dicit, Quia castitas Mariae non placuisset domino sine humilitate: Si humilitas non esset, filius dei homo factus non fu-
- Eccle. 10.**
- Proue. 29.**
- Philip. 2.**
- Judit. 9.**
- Psal. 17.**
- Psal. 33.**
- 2. Reg. 6.**
- Proue. 12.**
- Iob. 21.**
- Psal. 137.**
- Luc. 1.**
- Luc. 1.**
- Augustin.**



ffet, euāgelio & sacramentis omnibus adhuc careremus. Humilitatē in omnibus amat dominus, nec sine ea quēquam recipit, quum illa ianua sit qua ingredi oportet in cælum. Ianua autem ista humilis est, quum & Christus mitis existat & humilis corde: ideoq; per eam superbi intrare non possunt, sed confringunt capita sua. Tu itaque si Christiano uis gaudere nomine, fac sis humilis ut Christus: in cælum uenire si optas, esto humilis. unde & Paulus ait, Obsecro uos fratres ego uinctus propter dominum, ut digne ambuletis in uocatione, qua uocati estis in omni humilitate. Er nos igitur humilemus animas nostras coram domino, & corde contrito flentes, oremus illum ut secundum uoluntatem suam agat nobiscū. Quia cum humilibus operabitur misericordiam. in eorum ira que numero nos etiam fac esse domine Iesu, ut uitam mereamur æternam, Amen.

Johan. 10.  
Matth. 11.

Eph. 4.

Judith. 5.

DOMINICA DE

CIMANONA A FERIIS PEN-

tecostes, euangelium

Matth. XXII.



IN illo tempore Accesserunt ad Iesum pharisæi, & interrogauit eum unus ex eis legisdoctor, tentans eum: Magister, quod est mā datū magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota

Deute. 6.

QQ iii